

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin  
Schroeder, Johann  
Vitembergae, 1719**

**VD18 11653507**

Sectio II. Dogmatica

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

§. VIII. Melior itaque & præstantior erit explicatio, qua Prophetæ mentem revera talem fuisse asseritur, quod *Infantes eo sine debuerint adduci, ut cum adultis pœnitentiam agerent*; Non enim est ratio, quæ, alium scopum DEI fuisse in adultis, alium in infantibus, edoceat: cum universæ congregationi, cujus partem infantes debebant constituere, idem contingat mandatum, eadem dictetur poena, eadem proponatur promissio. Satis mature hoc expendit HIERONYMVS, qui hunc locum Joëlis ita *παραφράζει*: *Congregate populum, ut qui dispersus peccaverat, congregatus peccare desistat. Sanctificate Ecclesiam, ut nullus in ecclesia non sanctus sit, ne forsitan impediatur orationes vestra: & modicum fermentum rotam massam corrumpat. Coadunate sive eligit senes, ut non ætas in eis sed sanctitas eligatur. Congregate quoque parvulos & sugentes ubera, ne ulla sit ætas, quæ non convertatur ad Dominum. Parvulos & lactantes, de quibus in Psalmis & in Evangelio legimus: Ex ore infantum & lactentium perfecisti laudem. Quos Petrus rationali & absque dolo dicit lacte nutritos, de quibus Paulus loquitur: Lac vobis potum dedi, non escam, quorum & Salvator meminit: ne contemseritis unum de minimis istis. Oper. Tom. VI. p. 75.* Non vult itaque HIERONYMVS excludi infantilem ætatem ab illis, qui convertuntur hic ad Dominum. Unde finis congregationis a Propheta præscriptæ abunde patet, nihilque superest, quam ut penitus scrutemur, qua ratione pœnitentiam ab infantibus exigi aut præstari posse, illæsa fide ejusque analogia dici & concedi queat, ne in excessu vel defectu aliquid peccetur.

## SECTIO II. DOGMATICA.

### §. I.

Quam difficile sit argumentum & grave præsens de pœnitentia Infantum, protinus patebit, si ante omnia divortia

B 2

sen.

sententiarum recensuero, quæ inquirenti se obtulerunt, Nam quando quæstio instituitur: *An detur Pœnitentia infantum*, quales in præsentis oraculo describuntur recteque illis tribuatur? Affirmat hoc ex Calvinianis inter alios BENEDICTVS ARETIUS, qui in *Problem. Theolog. Loco XXXVII. p. 214.* Ubi de Pœnitentia prius fufius, sed non sine labe errorum egerat, tandem quæstiones quasdam movet, ad eas respondet, & ita scribit in prima mox quæstione: *Fam facile erit respondere ad quæstiones, quæ hic moveri solent, Primum ad quos pertineat ille actus pœnitentia? Respondemus primum ex Joële ad omnes pertinere. Nam senibus, pueris, Infantibus etiam & sponsis eam prædicare jubet. Deinde affirmat hoc ratio: Omnes sumus peccatores: Ergo omnes indigemus gratia, quæ impœnitentibus non datur. Adde, quod Dominus ante diluvium omnibus in genere tempus pœnitentia proposuit 120. annorum, intra quod, cum non pœniteret eos, omnes adunum perdidit diluvium, sola familia Noë exceptâ. Ita ARETIUS mentem suam exponit, & infantibus pœnitentiam a Joële præceptam tribuit, & una cum adultis vendicat.*

§. II. Ex nostræ Ecclesiæ Doctoribus contra ARETIUM negativam tuetur PHIL. HENR. FRIDLIVS, qui in *Theol. Exeg. ad Joëlem Class. IV. Objectionum* ad locum nostrum ita commentatur: *Arctius, ut evincat, etiam ad Infantes pœnitentiam pertinere, hunc locum adducit, sed nullo successu. Joël enim jubet congregari parvulos, non quasi pœnitentia sint capaces, sed ut vagitu suo Deum iratum leniant, & Parentes ad preces fundendas magis incitent. Nec aliter alibi idem Theologus optime meritis sententiam suam exponit, nimirum in Medulla Theologia loco de Pœnitentia p. 789. Quæst. 20. An in infantes cadat pœnitentia? Neg. Quia pœnitentia requirit agnitionem peccati & serium de illo dolorem, sed hæc non cadunt in infantes, utpote qui nec dextram nec sinistram norunt Jon. IV, u. Objic. ARETIUS I. Infantes esse pecca-*

peccatores. 2. Congregate Parvulos. Joel. II, 16. 3. Infantes perisse diluvio. Resp. I. Peccatum illud non per poenitentiam sed per baptismum expiatur. 2. Scilicet ut Parentes ejulatu suo ad fervidiores preces fundendas excitent. 3. Infantes in diluvio perierunt, non quia non respuerunt, sed quia nati erant Caro de carne, Job. III, 6. qua non nisi per mortem penitus mutari potest. I. Cor. XV, 52. Ita Theologus sua laude non fraudandus Aretii sententiam affirmativam impugnat, de rationibus quædam deinceps afferenda.

§. III. Ad eandem negativam sententiam inclinat CASPAR. ERASMVVS BROCHMANDVS, Patriæ quondam decus & splendor System. Tom. II. Loco de Poenitentia. Quest. XXX. p. 187. Vbi quærit, an in ipsos etiam infantes cadat Poenitentia? & sic mentem suam exponit: postquam Aretium pariter tetigit, & concessit, infantes regenerationis & renovationis esse capaces: At vero infantes, qui dixerit, capaces esse poenitentia, is, qua veritate id dixerit, non video. Nam primo poenitentia requirit agnitionem & serio de agnito peccato dolorem. At vero in infantes non cadit agnitio peccati, nedum dolor, ortus a metu ira Divina; quare etiam Scriptura describit infantes, quod neque dextrum neque sinistrum norint. Jon. IV, 11. Deinde nusquam jubet Scriptura infantes μετάνοειν: sed quotquot exstant in Codice Sacro adhortationes ad poenitentiam, omnes & singula diriguntur ad adultos, idque non sine justa causa. Nam cum infantes per ætatem non sint capaces hortationum ad respicientiam frustra adhibentur. Deinde Aretii rationibus pene iisdem verbis, quibus FRIDLIVVS occurrit, nisi quod ad exceptionem, quod infantes sint peccatores, & indigi gratia divina, que solis conferatur respicientibus, respondeat, quod restitutio gratia fiat per lavacrum Regenerationis Jo. III, 3. Non vero poenitentiam, cuius non sint capaces. De quibus rationibus inter se collatis non minus quædam infra dicentur.

§. IV. Addamus etiam Aretio repugnantem JOH. AFFELMANNVM, Theologum ἀγγελβέσηρον, qui, ubi disputationi solidissimæ, de fide infantum, quædam προδύηματα addit, num. 13. p. 865. ita scribit: Infantibus poenitentiam competere disputat ARETIUS P. 1. probl. p. 114. Quem refutant Piscator Vol. I. Disp. loco XIV. thes. 34. p. 244. Junius. Tom. II. Opp. p. 890. Aretio quidam ex Orthodoxis adspulari, quidam refragari videri possent. Nos Orthodoxos Theologos conciliare conabimur. Theologos dico, nam de D. A. L. non laboramus. Aretii autem sententiam, ex augustis scripturae tabulis refutabimus. Vid. August. L. IV. De Baptismo c. 24. Mallemus vero Beatum Theologum calamo illa consignasse, prout dubio procul ore tenus, quæ hic promisit, & abunde & egregie præstitit.

§. V. Audivimus Calvinianum hanc quæstionem affirmantem & Orthodoxos negantes. Audiamus nunc Calvinianum negantem, qualis ex multis sufficere nobis potest SAMVEL MARESIUS callidus satis adversarius. Ubi hic in systemate suo de Poenitentia subjecto loco XIII. n. XXVII. p. 297. agit, ita pronunciat: Poenitentia subjectum quod attingit, ut non negaverimus esse in infantibus regenerationis gratiam, cujus vi eluenda est inherens corruptionis naturæ macula, tamen actus illi respicientia, quos descripsimus, in infantes cadere non possunt. Etenim non norunt discrimen inter dextram suam & sinistram Jon. IV, 11. Nec Joel. II, 16. Infantes poenitentia capaces declarantur, cum parvuli & sugentes ubera ad jiciuntur populo & senibus, sponsis item & reliquis convocatis ad jejunium & ad diem interdicti, sed erant in coetum adducendi, ut sic Parentes scirent sua se respicientia mala imminuentia aversuros & a se & suis liberis. Ita MARESIUS, qui, uti in aliis ad hanc doctrinam pertinentibus vehementer lapsus est, ita hic etiam, quod in eo merito desideraretur, alii deprehenderunt.

§. VI.

§. VI. Audiamus igitur Orthodoxum, & in hac quoque cathedra bene meritum de ecclesia nostra Theologum PHIL. LVD. HANNEKENIVM affirmantem & sententiæ Marefianæ adversum: In *Observationibus enim fidelibus*, mox hanc animadversionem subjungit: *Subiectum Poenitentia non vult esse infantes Marefius: Respondemus autem, veram fidem in omni subiecto præviã habere similem cordis contritionem, quæ cum infantibus asseratur Matt. XVIII, 6. Marc. XI, 42. Luc. XIX, 17. Certe etiam poenitentia illis est asserenda, præsertim cum inibi adutorum via salutis exigatur ad methodum salutis infantum Matth. XVIII, 3. Ubi expresse æqualitas conversionis, quæ est in infantibus, requiritur in adultis. Et si in infantibus est gratia regenerationis efficax, quid efficere aliud potest, quam quod efficit in adultis? Salutarem scilicet poenitentiam, Et si per diversitatem capacitatis infantilis & adultæ actus illius gratiæ variant, ut supra vidimus. Loca igitur allegata non negant infantibus poenitentiam salutarem, sed exercitium rationis adultæ reflexum, & Infantes ipsi loco Joel. II, 16. in classẽ poenitentium referuntur, etiam si respicientia potior conditio ad Parentes pertinuerit, quorum erat a peccatis, qualibus Infantes obnoxii non erant, imposterum serio abstinere. Ita Theologus hic gravissimus non sine grano falis mentem suam exponit, & sententiam Marefii dejicit.*

§. VII. Addemus alium, meritis & doctrina non imparẽ ecclesiæ nostræ Promachum, JO. CONR. DANNHAEVVM. Hic vero in *Hodosophia sua, Phenom. XI. p. 1269.* hac ratione judicat: *Infantes a poenitentia frustra excluduntur, in quos aversio a peccato & fides cadit, quamvis non cum ea mentis reflexione, quæ est in adultis. Joel, II, 16. Exerat sententia Augustini L. 1. de peccati merito c. 19. Dicet aliquis, quomodo infantes vocantur ad poenitentiam? nunquid tantillus potest aliquid poenitere? huic respondendum, si propterea*

pterea poenitentes non sunt, quia sensum poenitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter credendi sensum non habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quia fidem per verba gestarium quodammodo profitentur, cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorum verba gestantium diabolo & huic seculo renunciare monstrantur? Hæc uterque non sine ἀκριβείᾳ & exquisito iudicio disserit.

§. VIII. Si alios nostrates consulueris, invenientur, uti poenitentiam, sic quoque conversionem equidem non omnem, proprie saltem dictam, ab infantibus remove; Ita B. KÖNIGIVS: *Conversio & Regeneratio differunt ratione subjectorum: Regeneratio enim adutorum & infantum, conversio vero adutorum saltem est, quia infantes non dicuntur proprie converti. Synops. p. 189.* Nec aliter NIEMEYERVS: *Poenitentia lapsorum ab infantibus exigitur, qui, quando ad baptismum ducuntur, per eundem quidem regenerantur, at tamen poenitentia precedente non ducuntur, sicuti nec proprie convertuntur. Theol. Moral. p. 147.* Idem alii faciunt re bene alioqui pensitata, & non præter rationem, ut tamen videantur sic propius rem ferire, & conversionem latius sic dictam, & poenitentiam sui generis infantibus concedere velle.

§. IX. Et sane ita est negotium, si accurata lance ex verbo DEI libremus, comparatum, ut ab omni conversione, atque poenitentia & ne quidem prima infantulos prorsus excludere queamus. Est omnino poenitentia, remotis omnibus ambagibus, nihil aliud, quam effectus proximus passivus conversionis, quam suscepit Spiritus S. in cordibus hominum per verbum & sacramenta. Sicut itaque conversio complete sumpta & contritionem & fidem producit, ita etiam poenitentiam essentialiter, his partibus constare necesse est. Unde etiam poenitentia notio ὀλιγὴ est famosior, tamen si altera μερικὴ, qua pro sola contritione sumitur, si recte capiatur & dextre applicetur, in verbo DEI fundamentum habeat, & ibi cum-

cum primis ubi fidei contradistinguitur, juxta canonem GERHARDI: Quando pœnitentia tribuitur effectus remissionis peccatorum, gratia Divina, aversionis vel mitigationis pœnarum, vitæ & salutis aeternæ, non tamen disertæ fit mentio fidei, in illis dictis pœnitentia nomine totum conversionis opus intelligendum est. Vicissim quando fides in Christum pœnitentia disertis verbis adjungitur, tunc pœnitentia nomine altera pars illius tantum, videlicet contritio intelligitur. Quanquam dissimulare non possim SEBAST. SCHMIDIVM, Theologum gravissimum non vereri in his ipsis oraculis, ubi pœnitentia fidei contradistinguitur, significationem non retinere μερικῆν sed ὀλικῆν. Nihil enim ipsi impedire videtur, quo minus in dicto: Facite pœnitentiam & credite evangelio. Marc. 1, 15. non dicatur contradistingvi partem parti, sed partem toti, ita ut hoc primo ponatur & deinceps pars, velut medium ad salutem proportionatum, subjungatur. Colleg. Bibl. N. Test. p. 261. sq. Malunt tamen pii Confessores primæ notioni, nempe μερικῆν ibi locum dare F. C. L. V. p. 711.

§. X. Quando igitur conversio completa perficitur a Spiritu S. in corde hominis cujuscunque, atque sic poenitentia, ὀλικῶς accepta, producit, simul regeneratio stricte sumpta peragitur, & fides datur atque accenditur, ut adeo conversionis ὀλικῶς acceptæ itidem actus duplex constitui possit, vicissim vero, ubi μερικῶς sumitur, nihil aliud denotat, quam contritionis veræ & genuinæ productionem. In qua ipsa sanctissima operatione Spiritus S. ita procedit, ut nunc nudum horrorem de peccato, etiamsi specificè nondum cognito, eum tamen serium verumque, excitet, absque actu tamen reflexo, tum intellectus, tum voluntatis, attentione ad se ipsum vel aliis ejusmodi actibus, quæ ex usu rationis simul promanant: nunc vero talem dolorem, qui oritur ex accurato scrutinio sui ipsius, adeoque actu intellectus reflexo, & se per externa indicia satis conspicuum reddit. Di-



stinctum itaque est contritionis *formale a materiali*, actus reflexus non ad prius, sed posterius referendus. Et habet se hic negotium, sicut cum *fide infantum*, cujus *materiale cum formali* confundi a Calvinianis & Pontificiis observat WILH. LYSERVS in *System. Theol. Dogmat. Exeg. p. 1273.* utpote qui ad fidei partes materiales, quæ in adultis se exerunt, attendant, cum tamen debeant ejus formale considerare, quod est *conditio passiva Christum recipiens*: perinde enim peragitur contritio, quam Spiritus S. in cordibus tenellorum infantum operatur, absque ullo apparatu, qui apud adultos poenitentes in peccatorum ad legem scrutinio, succelsiva agnitione & dolore, ejusque expressione consistit. Carentia nimirum actus reflexi negationem actus directi nequaquam inferre potest, nisi velimus multa absurda admittere, quæ quotidiana sensuum experientia talia esse demonstrat. Accedit quod hic, uti fides, ita & contritio *se habeat passive*, & ut actio consideratur, non *hominis seu infantis*, sed ipsius *Spiritus S.* Unde nulla ratione opus est, ut infantes, in quibus tale quid producit, habeant *actum intellectus & voluntatis reflexum*, & graviter, solideque respondet THEOD. THYMMIVS Photinianis, qui regenerationem, & conversionem, quæ sit mutatio totius hominis, infantibus denegant, ex hoc capite, *quia Infantes nesciant, quid dextrum quid sinistrum*; quod, *quamvis non possint mutare mentem naturaliter, possit tamen Spiritus S. supernaturaliter carnem in ipsis facere spiritum, & mentem atque voluntatem convertere, Impietate Photinian.* p. 598. Quam diu itaque certum est, *Contritionem non esse activam, factitiam & ab homine ipso elicitam, sed passivam & a Spiritu S. effectam*, ut docetur in *Consensu repetito Art. XII. p. 102.* Certum est, Infantes tenerrimos ab ea non prorsus excludi posse, sive eos in baptismo spectes, sive post baptismum.

§. XI. Quando nimirum in baptismo lavatur Infans tenellus & aqua per verbum institutionis ac promissionis sanctificata, & elemento coelesti unita, adspargitur, vel mergitur, absque omni dubio actu regeneratur, id quod Ecclesia nostra adversus integram cohortem adversariorum dudum evicit, ac probavit. Regeneratio vero illa, uti *illuminationem* aliquam habet antecedentem, quod itidem omni dubio caret; ita quoque aliquam infert *contritionem* & *tristitiam de peccato* antecedaneam, quamvis hæc operatio perinde, ut aliæ, sensum oculorum nostrorum fugiat. Nam uti *contritionem natura priorem fide* esse THVMIVS loco allato & DANHAWER. *Hodof. p. 1273.* probant, resque ipsa docet, ita, quare Spiritus S. ordine inverso in Infantibus agat, non apparet, cum par ubique sit potentia & gratia, qua hæc efficere potest, perinde ut effectus fidem & tempore & natura insequentes, omnemque captum superantes producere solet. Sapienter & graviter laudatus LYSERVUS: *Quoad Infantes itidem baptismus est lavacrum renovationis, siquidem per Spiritus S. operationem regnum diaboli in illis destruitur & dominium carnis aufertur per operationem Spiritus S.* CONTRITIONI ADULTORVM CORRESPONDENTEM: quod sane non immediate fit, sed per baptismum, ut Spiritus S. medium, immediate enim Spiritus S. non agit, ubi media adesse possunt. Per idem medium etiam Lux intellectus ad Christi agnitionem, cujus exemplum in Jobanne conspicuum & fiducia voluntati ad apprehensionem Christi, sicque fidei illa conditio *ληπτικὴ* simul a Spiritus S. donatur, qua Christum recipere & sic per imputationem meriti ipsius justificari, atque ita Spiritus S. templa & viva Christi membra esse queant, fide eorum non quidem per actus externos hominibus, sed per motus internos Deo sese probantes & coram eo exerente. p. 1276. Quæ verba magni fatis ponderis quæstionem nostram

mire illustrant, & qua ratione etiam contritionem aliquam baptismus producat, satis docent.

§. XII. Quando igitur infans per lavacrum sanctissimum regeneratur, justificatus & renovatus ac sanctificatus est, eo minus dubii reliquum est, adesse *contritionem*, adeoque *poenitentiam totalem* secundum suum formale consideratam. Uti enim post baptismum *Infantem actualiter peccare* non dubitamus, neque Socinianorum pestilens error vel tantillum veri habet, quo Infantes neque peccare neque proprie poenae subjectum esse fingunt. Ut CRELLIVS de *libertate Dei*. Tom. IV. OOpp. p. 62. SCHLICHTINGIVS in *Comment. ad c. V. Roman.* p. 203. Ita poenitentia ad fruitionem justificationis novae opus esse nemo facile ambigat, quam Spiritus S. una cum aliis sanctis motibus ex fide nascentibus producit. Hoc antea allatus LYSERVS verbis satis dilucidis docet: *In renatis ut justificatis infantibus praeter actum illum internum ex & in fide donatum Christi justitiam modo nobis inexplicabili apprehendentem & effectus modo dictos producentem, procul dubio etiam excitantur motus interni justificationem consequentes, & ad sanctificationem spectantes, ut Deum diligant ceu Patrem, quamvis per sensibiles motus extrinsecos id non exerant, nec quicquam de illo (pertinet enim ad actum reflexum) nisi prius informati fuerint, sciant aut referre queant.* p. 1445.

§. XIII. Praedicatum igitur *verbum* in ecclesia DEI tum legis tum Evangelii etiam *ad infantes baptizatos & regeneratos pertinere*, dubitari non debet. Nam si ne quidem regeneratio ipsa sine verbo fit, cum elemento aquae nimirum conjuncta, imo in certis casibus solo verbo ante vel extra baptismum, quod exemplo Johannis patet, quem *faliisse in utero non sine precedente verbo profitetur* LUTHERVS noster in *Artic. Smalcald. VIII.* p. 333. certum omnino est, post baptismum peractum infantes per illum rege-

regeneratos ad pœnitentiam vocari per verbum in ecclesia DEI resonans. Neque tunc prorsus auditus verbi excludi debet, quandoquidem non protinus ad actus reflexi præsentiam vel necessitatem valebit consequentia. Benedixerunt Jacobus & alii Patriarchæ filiis & nepotibus verbis ab ipsis auditis & a Spiritu S. ipso interdum consignatis: non tamen sequetur, puerulos omnes aut intellexisse ea aut mentem sibi revocasse instar adultorum. Valebat vero nihilominus benedictio Patriarchalis & valitura fuisset, tametsi filioli illi bimuli fuissent, neque dubium & Patriarchas verba sua eodem modo atque tenore ad ipsos pronuntiaturum fuisse. Neque aliter Christus assumpsit infantes, blandissimis excepit verbis & iis benedixit, procul dubio *alloquendo*, ut sermonem audirent, etiamsi intellectu instar adultorum minime assequerentur, & effectum nihilominus sortita est benedictio. *Modus vero, quo verbum auditum fuit applicatum, nos omnino latet Marc. X, 16.* Ut ita, quando *auditum verbi removere* videntur Nostrates ab Infantibus, non sine grano salis intelligendi sint, nam aut loquuntur *de Infantibus nondum baptizatis*, in quibus Sacramentum Baptismi negotium conficit, non auditus verbi; tametsi ne hic quidem prorsus excludi queat: aut *de auditu cum intellectu ad verba pronunciata* instar adultorum attendente, conjuncto, qualis omnino excluditur. Id quod notandum putamus, ne Lector turbetur in lectione LYSERI, quando in discrimine inter adultorum & Infantum fidem constituendo inter alia negat, *hanc per verbum audibile produci p. 1440. & auditum verbi ad Infantes non pertinere scribit p. 1447.*

§. XIV. Quid itaque superest in Infante per baptismum regenerato quoad operationem Spiritus S. discriminis, quam *absentia, vel presentia actus interni reflexi & externi significandi*? Parum sane aut nihil. Videtur hoc

penetravisse LYSERVS aliquoties allatus, cum scribit: *Fides pœnitentis a fide infantis eatenus differt, quatenus homo pœnitens, nisi reprobus sit, an in fide sit, tentare se, probare & cognoscere queat. 2. Corinth. XIII, 5. Licet vero notitia illa reflexa intentatis obscurior sit, attamen in ipso illo tentato esse, licet non sentiat ex Scriptura dictis, que unice DEO causam fidei assignant, & quod illam in non re-jicientibus producat, contra ipsas tentati objectiones probari potest & debet. p. 1530.* Si vero eatenus saltem differt fides adulti & infantis, sequitur, fidem Infantis esse etiam Infantis pœnitentis, nisi velis fidem adultorum specie aliam a fide infantum facere, quod tamen præter alios, quos tace-mus, multis argumentis gravissimis confutavit B. MICH. WALTHERVS Theologus hujus Academiae celebratissi-mus, in disputatione *de fide Infantum* & B. QVISTOR-PIVS in disputat. *de eadem materia.* Unde a verbo *ἀνεξέ-* nequaquam excludendi erunt infantes, sive jam illud sit verbum *mandati* de agenda Pœnitentia, sive *promissionis* de Remissione Peccatorum & aversione pœnæ, id quod haud obscure patet ex oraculis clarissimis *Act. II, 39. XXVI, 22.* quæ ut fusius explicemus, brevitati instituti non permittit. Urgeri potest inter alia quoque *Act. XVII, 30. 31.* Ubi mandatum DEI de pœnitentia agenda ubique & ad omnes homines pertinente, restrictionem ad solos adultos non admittere videtur. *Conf. SEB. SCHMIDIVS in Colleg. Bibliæ. N. T. p. 267. sq.*

§. XV. Redeo jam ad oraculum nostrum, & Joëlem *infantum* quoque *pœnitentiam* serio intendisse & voluisse minime dubito. Fuerant illi jam circumcisi & in gratiam recepti, adeoque opus habebant perinde ac adulti pœnitentia, quæ decet regenitos, subinde tamen peccantes, & gratia & fide rursus excidentis, cui aliter, quam per pœnitentiam ex ordine a Deo præscripto, subveniri non potest. Adeoque

que non sine successu urgeri possunt argumenta petita. I. *A mandato Dei* per Prophetam admodum serio de agenda poenitentia ab omnibus incolis adultis & infantibus, a cujus verbis clarissimis & simplicissimis nequaquam recedendum. II. *a collectione equali demandata* ad publicum coetum, in quo & verbum Dei legale atque Evangelicum prædicari & poenitentia excitari, ut & adultis, quibus id datum erat, per verba & alia externa indicia demonstrari debebat. III. *Ab equalitate calamitatum*, quæ sicut infantes æque imo sensibilius quam adultos feriebant, ita ab his etiam medelam poenitentiam requirebant. Ubi enim imminet & præsto est poena, ibi aliud remedium præter poenitentiam non datur. IV. *Ab equalitate intentionis divinæ & demandatæ collectionis* infantum ad congregationem publicam, volebat enim horum quoque & quidem principaliter misereri, ut ex aliis exemplis, speciatim Ninivitarum patet. *Jon. IV, 11.* Ubi vero Dei miseratio, ibi ante omnia a Spiritu S. expeditur operatio poenitentia. Hæc & alia momenta ex ipso hoc oraculo fluentia rem satis dilucidare possunt.

§. XVI. Si alia desiderentur, non pauca erunt præsto. Urgeri potest I. *Indoles fidei salvifica*, quam natura antecedit, tempore interdum sequitur contritio, ubi vero hæc duo, ibi conversio, ibi poenitentia, quamvis latens in occulto. Placet locus ex *LUTHERO* allatus ab *AFFELMANNO* ad fidei infantum naturam demonstrandam, qui huc etiam spectat: *Quid hoc mirum est Spiritum S. in Infantibus esse efficacem eo modo, quem nos non intelligimus. Cum habeant vitam carnem & ossa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur. Nobis non intelligunt, nobis mente ac sensu dicuntur carere, sed Deo non sic, cujus opus sunt. p. 846.* Si creaturis tribuatur gemitus, si clamare dicuntur ad Deum & exaudiri triticum & terra, *Hof. II, 21.* quæ non nisi tropice illis tribuuntur, quid ni Infantes

in

in quibus Spiritum S. operosissimum esse certum, si enim fidem producit, quidni antecedentia, eaque ad ordinem salutis pertinentia?

II. *Solemnis abrenunciatio in baptismo Diabolo facta & omnibus ejus operibus, quam AUGUSTINVS in loco supra allato recte urget, pollicetur enim infans peccatorum horrorem & aversionem non saltem in annis adultis præstandam, verum etiam in ætate infantili, hanc vero stipulationem non esse inanem a nostratibus adversus Calvinianos & alios defenditur. Conf. Magnifici Domini Præsidis disputationes de ἐπεγοτήμοις baptismali per Abrenunciationem & professionem. Et MEIERSVS de initiamentis novellorum Christianorum. p. 62.*

III. *Aequalis intentio Dei erga homines, ut convertantur & vivant, quam ad Infantes quoque pertinere quis dubitet? quando itaque per baptismum regenerantur, simul convertuntur. Conf. Calov. System. Theol. T. IX. p. 13.*

IV. *Mandatum universale de prædicando evangelio omnibus creaturis rationalibus, tametsi usu rationis nondum pollentibus, cum dudum a Nostratibus probatum, eum in negotio salutis quoad infantes speciatim non requiri, Matth. XVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15. 16.*

V. *Natura & indoles verbi, quod ubique habet hanc vim, ut lege terreat, & evangelio erigat, ab utraque hac operatione infantes excludi nequeunt. Recte igitur tribuitur Infantibus confessio cordis coram DEO, tametsi non expediri queat confessio oris. THVMM. Impiet. Pbot. p. 597.*

VI. *Vocabuli μετανοεῖν indoles, quæ contritionem secundum suum formale spectatam simul importat, adeoque non fidem solam denotat. Atqui τὸ μετανοεῖν omnibus hominibus ex æquo annunciatum atque mandatum a Johanne, Christo & Apostolis.*

VII. *Frw-*

VII. *Fructus Baptismi*, qui est renovatio Spiritus S. ad  
cujus actus speciales etiam pertinet operatio poenitentiae  
subinde repetendae & peragenda. Unde LUTHERVS in  
*Catechesi majori* p. 550. *Resipiscencia aut poenitentia nihil  
aliud est, quam regressus quidam & reditus ad Baptismum,  
ut illud iterum petatur & exerceatur, quod ante quidem in-  
ceptum & tamen negligentia intermissum.* Nil itaque fa-  
cilius Spiritui S. quam vires in regeneratione datas et-  
iam in infantibus ulterius augere & poenitentiam novam  
largiri.

§. XVII. Si qua igitur supersint dubia, haud diffi-  
culter tollentur. Nam si dicatur I. *infantes ideo saltem  
congregatos fuisse, ut vagitu suo DEVM iratum leniant,*  
revera tribuitur vagitui, quod operationi Spiritus S. tribu-  
endum erat, DEVS enim non movetur vagitu, sed poe-  
nitentia vera. Quod II. dicitur, *per parvulos adductos et-  
iam adultos eo magis ad preces fundendas incitari,* non tol-  
lit in illis poenitentiam, sed firmiter potius eam ponit, sola  
enim praesentia parum facit incitamenti, sed plus affert im-  
pedimenti orantibus. Quando III. dicitur *agnitionem  
peccati & dolorem in infantes non cadere,* vereor, ne ope-  
ratio Spiritus S. in infantibus nimium coarctetur & restrin-  
gatur, quid enim facilius quam dolorem perinde ac fidu-  
ciam, agnitionem peccati perinde quam agnitionem Chri-  
sti operari? Etsi IV. objiciatur, *infantes neque dextram  
neque sinistram nosse:* absolute illud non esse capiendum  
facile quilibet videt, alioqui enim etiam omni notitia na-  
turali & salvifica destituerentur infantes, quod tamen ali-  
ter se habet. Quando V. dicitur: *Peccatum non per poe-  
nitentiam, sed per baptismum, expiari,* recte tribuitur Ba-  
ptismo remissio peccatorum, non tamen excludi possunt  
actus gratiae Spiritus S. applicatorii reliqui. Si dubium

D

sit,



fit, VI. *an Scriptura jubeat Infantes μετανοεῖν*, facile illud tollitur per universalitatem prædicationis ad omnes homines, a quorum numero cur excludi debeant infantes, causa non est, unde probari nequit saltem, & cum exclusione horum, ad adultos dirigi; neque sequitur VII. *frustra prædicari verbum, si infantes hortationes ad poenitentiam non percipiant*, efficacia enim verbi & operatio Spiritus S. quoad modum nos latet, cum vis illa sit interna & abscondita. Hebr. IV, 12.

§. XVIII. Sublatis his dubiis, quotquot memini extantiora occurrisse, hoc præterea notandum puto, quod supra adducti Theologi nostratis ecclesiæ præstantissimi, uti quidem prima videntur fronte, inter se non revera pugnent, unde conciliari inter se possunt. Qui enim negant, *Infantibus competere poenitentiam*, procul dubio intelligunt tum *activam*, tum *passivam* cum *actu quodam reflexo*, tam *intellectus*, quam *voluntatis*, minime vero negant *operationem Spiritus S. producentem vel contritionem, vel contritionis*, qua est in adultis aliquod *analogon*, tum in ipso baptismo & per baptismum, tum post baptismum. Huc tendit procul dubio mens B. AFFELMANNI quando de hac materia loquitur: *Aretio quidam ex Orthodoxis ad stipulari, quidam refragari videri possent. Nos Orthodoxos Theologos conciliare conabimur: Aretii autem sententiam ex augustis Scripturae tabulis refutabimus p. 805.* Illam vero mentem ipsis sedisse, ex mediis terminis apparet non obscure, quibus thesin suam probare intendunt. Et idem re vera volunt, quando *conversionem* non omnem, sed *propriissime dictam*, *infantibus denegant*, hoc est per omnia talem, qualis exercetur a Spiritu S. in adultis, quibus verbum legis & Evangelii primum prædicatum est, quo recte percepto & ad mentem revocato voluntaria confessione prius edita

edita ad Baptismum ducuntur, ubi in Infantibus e contrario sufficit Baptismus, qui omnia necessaria perficit, et si sensuali quadam perceptione id non advertant aut adstantes, aut ipsi etiam Infantes. Oeconomia enim illa, quam Spiritus S. in tenellis cordibus suscipit, ex omnium Orthodoxorum confessione omnem oculorum & rationis sensum longissime fugit & fides nostra *verbo credere*, non vero *rationis dictamen* circa definiendum τὸ πῶς regenerationis *audire debet*. Job. III, 9. *seq.* Cum igitur idem velint alii, qui affirmativam tuentur & facile largiantur, *poenitentiam cum omnibus suis materialibus non dari in Infantibus*, quæ se exerunt in adultis, sufficit utrinque esse in confesso, quod Spiritus S. non modo per baptismum, quo infantes regenerantur & fide donantur, verum etiam post eum per verbum in iis operetur contritionem, sui quidem generis, eam tamen veram in aversione directa peccati consistentem, quam deinceps fiducialis inclinatio ad objectum salvificum excipit: ita ut integra nihilominus poenitentia sit, quæ in Infantibus quoque lactentibus a Spiritu S. producat, perinde ut placent Deo laudes ex ore tam tenello proficiscentes, neque frustra præceperit Joël, ut in congregationem publicam etiam deportentur Infantes, cum ipsi etiam partem ecclesiæ, eamque non profus postremam, conficiant.

§. XIX. Unum superest, quod vel tribus, ut ajunt, verbis expediemus. Sedere Calvinianis hunc errorem, certissimum est, quod fidem Infantum negant. Non est itaque, cur miremur, MARESIUM & plures alios poenitentiam quoque infantibus denegasse: Mireris vero eo magis, quomodo salva sua hypothese inter se digladiantur, & quod MARESIUS negat, ARETIUS affirmare non vereatur.

tur. Neuter vero ideo ab erronea sententia absolvi potest. Etsi enim ARETIVS in eo non male sentiat, quod credit, cadere poenitentiam in Infantes, atque sic re vera causam suam destituat (Si enim adsit poenitentia, quomodo-cunque etiam definiatur, qua fronte quæso negari possit adesse fidem?) male tamen concipit *formam poenitentia*, eamque in his tribus tanquam partibus integralibus reponit, *dolore de admissio peccato, emendandi proposito & spe venia* atque sic ad alterum extremum prolabitur, cum ea ad ipsam poenitentiam refert, quæ potius ex ipsa fluunt ac promanant, ut reliqua, quæ a veritate coelesti abludunt, taceamus. Habeant itaque illi sua seque mutuo impugnent! Constat illorum exemplo, quantum cespitet ratio, quando de operationibus Spiritus iudicium ferre audeat. Cui ob illam, quam in Infantibus quoque exhibet, ineffabilem Sapientiam, Laus, honor, & gloria sit in Secula Seculorum!

## TANTVM

*Dogmata*